



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 2. De Semiduplicibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. II.

De Semiduplicibus.

I. Quatuor sunt species Semiduplicium. Ad primam pertinent *Dominicæ*, quæ in tres species subdividuntur, scilicet in *Dominicæ prima Classis*, quæ nulli Festo cedunt: *Dominicæ secunda Classis*, quæ soli Festo Patroni vel Titularis, vel Dedicationis cedunt: & *Dominicæ communes*, seu *per annum*, ut vocant. Hæ omnes, inquam, *Dominicæ* (exceptâ *Dominicâ Resurrectionis*, *Pentecostes*, *SS. Trinitatis*, in *Albis*, & *ijs*, quæ transferuntur) sub ritu *Semiduplici* celebrantur; ita tamen ut in occurſu semper alijs *Semiduplicibus* præferantur. Ad secundam pertinent Festa *Semiduplicia*, qualia sunt, quibus in *Calendario*, vel in *Proprio Sanctorum* vox *Semiduplex* additur; & interdum in aliquibus locis ex concessione summi Pontificis Festa illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ non insignes habentur. Ad tertiam spectant omnes *Dies infra Octavam*, quæ proinde in occurſu tam *Dominicis*, quàm *Semiduplicibus* cedunt, nisi ad aliquam ex *Octavis privilegiatis*, de quibus Titulo sequenti dicitur, pertineant. Ad quartam pertinent *Vigilia Epiphaniæ & Pentecostes cum præcedente sexta Feria*, quæ sub ritu *Semiduplici* celebrantur, nec tamen ad ullam præcedentium classium commodè revocari queunt.

II. Distinguuntur hæc *Semiduplicia* à *Duplicibus* per privilegiorum priori §. n. 6. enumeratorum carentiam, primi saltem, nam posteriora duo etiam Diebus *infra Octavam* conveniunt. A *Simplicibus* verò distinguuntur, quòd novem *Lectiones*, tres *Nocturnos*, & primas ac secundas *Vesperas* de jure exigant.

§. III.

De Simplicibus.

I. *Simplicium* (sic dictorum, quia *simplici* seu minùs *solemni* ritu celebrantur) sex sunt species. Ad primam pertinent *Feria Miores*, sic dictæ, quia de illis fit commemoratio quocunque Festo occurrente, quales sunt *Feria Adventus & Quadragesimæ* (de quibus commemoratio etiam in utrisque *Vesperis* fieri debet) & *Feria II. Rogationum*, ac *Quatuor Temporum*, de quibus in *folis Laudibus* commemo-